

sub tuta custodia regulas artis grammaticę pleniter didicerat. Constituitur etenim<sup>m)</sup> divine officii assiduus custos ac scolę<sup>n)</sup> capitalis illius loci. Qui<sup>o)</sup> felici virtutum incremento deo favente<sup>p)</sup> proficiens<sup>q)</sup>, commissa est ei secretarii cura atque administratio, necnon etiam totius suppellectilis sanctuarii domi<sup>r)</sup> forisque consiliorum diffinitio. (*cap. 6*) Cępit interim cogitare, qualiter suum genitorem a fluctivaga istius seculi cura subtraheret, ac quod illi vitę supererat, secum in monasterio pro ęterna requie laborando consumeret. Nam mater illius iam in pace obierat. Tunc nempe suasit ei, ut mente tractaverat, et ille statim dilecto oboedivit filio, immo<sup>s)</sup> deo, qui ei prestitit talem<sup>t)</sup>. Sicque satis accurate cum plurimis donorum exeniis<sup>u)</sup> duxit illum ad monasterium, ubi devotissime a cunctis susceptus, in sanctę conversationis habitu et ipse devote<sup>v)</sup> vivens non multo post presente filio optimo fine vitam complevit<sup>4)</sup>.

III (*cap. 7*). Interea petebatur promoveri ad diaconatus<sup>w)</sup> officium qui revera ita<sup>x)</sup> obsequens extiterat inferiorum pręceptionibus graduum, ut etiam ipsis sacerdotibus imitabile foret<sup>y)</sup> exemplar<sup>z)</sup> ad iter arripiendum tutum<sup>a)</sup>. Sed prędictum monasterium in Vercellensis urbis episcopo<sup>b)</sup> situm atque<sup>c)</sup> eiusdem<sup>d)</sup> episcopi ditioni subiacebat. Insolescerat<sup>e)</sup> etiam<sup>f)</sup> male arreptę consuetudinis usus, ut nullus fratrum loci illius levitici ordinis gradum prius susciperet, quam sese assertionem iurandi promitteret servaturum fidelitatem episcopo. Hoc quoque dum suggestum esset<sup>g)</sup> Willelmo, ut iuxta illorum morem faceret, ut erat eleganter affabilis, respondens dixit se non posse salubriter perpendere<sup>h)</sup>, ut pro his<sup>i)</sup>, quę solius<sup>k)</sup> dei imperio gratis (*fol. 223<sup>v</sup>*) prestari deberent<sup>l)</sup>, horum<sup>m)</sup> ministro alicuius servandę<sup>n)</sup> fidei assertionem ullo modo

m) etiam R

n) scalae B

o) Et R

p) RM, fouente B, faciente F

q) proficienti R

r) et domi R

s) imo B

t) talem praestitit R

u) xeniis B

v) *ü. d. Z. in F*

w) diadematis B

x) *fehlt B*

y) fieret R

z) exemplum R

a) RBM, arripiendi uirtutum F

b) episcopo R

c) *fehlt R*

d) RBM, eidem F

e) Insoleuerat B, Inoleuerat RM

f) autem R

g) fuisset RBM

h) respondere M

i) iis R

k) *fehlt R*

l) debeant B

m) eorum R

n) sanandae B

4) Zu Wilhelms Studien in Vercelli und Pavia, seinen Ämtern in Lucedio und zum Eintritt seines Vaters ins Kloster s. Bulst S. 24 ff. u. 251.